



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 59. Cardinalis Gaddius mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.

## §. LIX.

*Cardinalis Gaddius mortuus.*

Ciacon. p. 854  
Ughel. Italia  
Sacra Au-  
bery hist. des  
Card.

**T**ertius ex Cardinalibus hoc anno defunctis erat Thaddæus Gaddius Nepos Nicolai Gaddii Cardinalis, qui Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo e vivis exceperat. Eius Familia Medicorum, Accajolorum, & Diacetensium generi sanguinis conjunctione unita fuit, & semper celeberrima existit apud Florentinos, in quorum Metropoli Thaddæus Mense Septembri Anno post Christum natum millesimo quingentesimo decimo nono primam lucem aspexit, atque civilis & que, ac Canonicæ jurisprudentiæ, cui Patavii operam dederat, peritia clarissimus evalit: hinc vix percurso decimo sexto ætatis suæ anno Sancti Leonardi Abbatiam, cum Cardinalis Nicolaus Gaddius ejus Patruus illam cederet, in Apulia obtinuit, & postea a Paulo III. Papa in Neapolis Regno ad Cosentinum Archiepiscopatum, quem idem illius Patruus sponte abdicaverat, nominatus hanc sedem nonnisi evoluta vigesimo septimo ætatis suæ anno occupare voluit, quam tamen Ecclesiam tanta sapientia, ac Religionis studio rexerat, ut Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Mense Martio a Paulo

Paulo IV. Pontifice Cardinalis tit. S. Sæcul. XVI.  
 Sylvestri renuntiaretur, hacque digni- A.C. 1561.  
 tate clarus comitiis, in quibus Pius IV.  
 Papa eligebatur, interfuit. Denique  
 Anno Incarnationis Dominicæ millesi-  
 mo quingentesimo sexagesimo primo  
 die vigesima secunda Octobris in sua Ab-  
 batia ad S. Leonardum in Apulia na-  
 turæ debitum solvit, & corpus ejus Flo-  
 rentiam translatum in Ecclesia Sanctæ  
 Mariæ novæ Ordinis Fratrum Prædi-  
 catorum in Familiæ suæ monumento  
 conditum fuit, unacum sepulcrali in-  
 scriptione, quæ hodieum visitur.

## §. LX.

*Melchioris Wolmari fata.*

Hoc item anno celebris Protestantium Thuan. l. 28.  
 Theologus nomine Melchior Wol- Melchior  
 marus anno ætatis suæ sexagesimo Adam. Beza  
 quarto Isenaci obiit: natus is erat in Icon.  
 apud Helvetios Rotevillæ quodam Lon-  
 gevillæ Ducum oppido: Parisiis vero  
 primo Jacobi Fabri Stapulensis, ac po-  
 stea Biturigibus Alciati Magisterio usus  
 studiis vacabat, ac Calvinum Græco i-  
 diomate imbuebat, quo circa hic idem  
 hæresiarcha Magistro suo scriptum in  
 secundam D. Pauli epistolam ad Corin-  
 thios commentarium nuncupavit: in-  
 super Melchior Theodorum Bezan li-  
 teris instituit; hic autem Wolmaro sua

R 5 poe-